

CAP.

IIII.

EGo Nabuchodonosor &c.) Historia quidem manifesta est, & non magna interpretatione indiget: quod ad offensam dei Nabuchodonosor uersus in amentiam, septem annis inter bruta anima-

CAP. IIII.

EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. b Somnium uidi, quod perturbauit me. c Et uisiones capitis mei conturbauerunt me. Et per me propositum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionem somnii indicaret mihi. Tunc ingrediebantur arioli, Magi, Chaldaei, & aruspices, & somnium narraui in conspectu eorum, & solutionem eius non indicauerunt mihi: d donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen dei mei: e Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso, & somnium coram ipso locutus sum. Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: uisiones somniorum meorum quas uidi, & solutionem earum narra. f Visio capitis mei in cubili meo. f Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor, fortis, & proceritas eius contingens caelum: aspectus illius erat usque ad terminos uniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus

tur ad saluatorem: Hæc omnia mihi tradita sunt. Et *Matt. 11. b*
Apostolus dicit: Mundus in maligno positus est. *1. Ioan. 5. d*
b ¶ Somnium uidi, quod perturbauit me. c Respondeant quale somnium uiderit contraria fortitudo: nisi forte omne, quod in hoc mundo habere uidetur, umbra & somnium est.

c ¶ Et uisiones capitis mei conturbauerunt me.) Nota quod & Nabuchodonosor uisiones non oculorum & cordis, sed capitis nouerit: quia propter gloriam seruorum dei, futurorum illi mysteria reuelantur.

d ¶ Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel: qui nomen Baltassar &c.) Exceptis Lxx. translatoribus, qui hæc omnia nescio quare ratione præterierunt, tres reliqui, collegam interpretati sunt. Vnde iudicio magistrorum ecclesiæ, editio eorum in hoc uolumine repudiata est, & Theodotionis uulgo legitur: quæ & Hebræo, & ceteris translatoribus cõgruit. Vnde & Origenes in *D*no Stomatium uolumine asserit se, quæ sequuntur ab hoc loco in propheta Daniele, non iuxta Lxx. interpretes, qui multum ab Hebraica ueritate discordant, sed iuxta Theodotionis editionem disserere.

e ¶ Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso, & somnium coram ipso &c.) Pro eo quod hic dicitur, deorum sanctorum, lingua Chaldaica, qua scriptus est Daniel legimus אלהין קרישין, quod deos sanctos, & non deum sanctum significat: ut Theodotio interpretatus est. Nec mirum si erret Nabuchodonosor, & quidquid super se cernit, non deum, sed deos arbitretur. Denique & in consequentibus: Baltassar, inquit, princeps ariolorum, quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te: Baltassar princeps ariolorum si uo incantatorum, ut alii interpretati sunt. Non mirum si princeps ariolorum omnium constitutus sit, qui ad præceptum regis sapientiã didicerat Chaldaorum, & decuplum omnium sapientior fuerat inuictus. Queramus ab his, qui in hac uisione non recipiunt historiam: quis iste sit Nabuchodonosor, qui somnium uiderit, & quis Daniel, qui somnium eius edisserat, & uentura prædicat, & quo modo hic ipse Daniel, qui utique iuxta eos, sancta intelligenda est fortitudo, a Nabuchodonosor princeps ariolorum eius constituitur, & collega appellatur?

f ¶ Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo

Luc. 10. c

Apoc. 12. a

Esa. 14. e

אמרין

כלטשאר
רכהרמפיא

בהיכלי